

20

CERVIANA

SUB AUSPICIIS ILLUSTRISSIMI VIRI

D. D. JOSEPHI CERVI,

ARCHIATRI REGII, SUPREMI PROTO-MEDICATUS
Præsidis dignissimi, Regi à Consiliis &c.

FELICITER EDITA.



Ovum Plantæ genus juxta *Tournefortii* methodum descriptum, pertinens ad Secundam Sectionem Classis xv. post Genus vi. ante vii. de Herbis, & Suffruticibus flore apetalò, seu stamineo, *Institutionum Rei Herbariæ.*

DESCRIPITIO GENERICA.

EST Plantæ genus, flore apetalò, quinque scilicet staminibus constante, ex calyce monophyllo, globoso, quinquifido, usque ad imum secto surgentibus. Pistillum autem deinde abit in fructum, è rotundo trigonum, in tres partes dehiscens ipso calyce involutum, in quo nidulantur semina exigua, quasi cordiformia.

DESCRIPITIO SPECIFICA.

EX radice albicante tenui, & fibrosa; emittit folia plurima in orbem disposita, semiuncialia, obtusa, vix lineæ latitudinis, nervo per medium incurrente, & glauci coloris: è quorum medio geniculantur cauliculi plurimi, humifusi, radiatim dispositi, duas, vel tres uncias longi, Epi, vel Cuscutæ coloris, & crassitie, & aliqui supini unciales, tenuiores, ramosi, floribus onusti. In humifusorum summo alia producuntur folia prioribus similia, & similiter disposita; è quorum medio iterum tres, vel quatuor geni-
cu-

CERVIANA

DI D. JOSEPH GAYL



THE
LIFE OF
D. JOSEPH GAYL

BY
D. JOSEPH GAYL

THE
LIFE OF
D. JOSEPH GAYL

culantur cauliculi humifusi, prioribus similes, uncia tantum, vel fescuncia longitudinis, & alii supini, ut supra. In humifusorum summo iterum alia producuntur folia, ut in superioribus: è quorum medio geniculatim supinantur alii cauliculi cum floribus. Flores apetalii sunt, quinque staminibus albescentibus constantes, cum apicibus luteis Pistillum amplectentibus. Calyx monophyllus est quinquifidus, usque ad imum sectus, lineæ latitudinis, & longitudinis, coloris exterioris, è glauco purpurascens, interioris è viridi albicans; in quo Pistillum abit in fructum, è rotundo trigonum trifarium dehiscens, seminibus exiguis foetum, quasi cordiformibus. Tota planta visui jucunda, & pulcherrima est, humifusa, & orbiculariter disposita, folia varios orbiculos ordinatim componentia. Reperitur in Prato S. Isidori prope Amnem de Manzanares extra Matritum, & in Pratis Saltûs De Luzon, florens Julio, & Augusto.

Plantam hanc à nemine (quod sciam) descriptam, consultis licet incassum Rei Botanicae Auctoribus, Tibi Clarissime, ac Illustrissime Domine, cui Regis, ac Reginae, id est nostra omnium salus credita; cum ut grati atque obsequentis animi specimen aliquod exhibeat, tum ut CERVIANUM NOMEN apud Medicos immortale, etiam inter Botánicos eternum vivat, D. O. C.

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONI TUÆ

Devotus cliens, & humilis servus

JOANNES MINUART,
Catalaunicus, Pharmaciae Professor,
& Botanices Studiosus.

THE
[Illegible text]

[Illegible text]

[Illegible text]

[Illegible text]